DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

DE

RHEUMATISMO.

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

DE

RHEUMATISMO;

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE REVERENDI ADMODUM VIRI,

D. GEORGII BAIRD, SS. T. P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI;

NECNON

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU;

ET NOBILISSIMÆ FACULTATIS MEDICÆ DECRETO;

Pro Gradu Doctoris,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

GEORGIUS GUMBLETON ROGERS, A. B.

T. C. D.

Hibernus.

Aggrediar non tam perficiendi spe quam experiendi voluntate.

CIC.

Pridie Idus Septembris, horâ locoque solitis.

EDINBURGI:

EXCUDEBAT C. STEWART,

Academiae Typographus.

MDCCCX.

VIRO PRAEHONORABILI

HENRICO BOYLE,

COMITI DE SHANNON, *&c. &c.*

SANCTI PATRICII ORDINIS EQUITI,

REGIAE MAJESTATI A CONSILIIS SECRETIORIBUS,

&c.

S. P. D.

AUCTOR.

Cum tibi, illustrissime vir, hasce paginas meas, inscribere vellem; minimè, virtutes tuas sive publicas, sive privatas, laudandi occasione uti, consilium erat; majores quidem sunt, quam ut praeconiis meis, notiores, quam ut queislibet egeant: sed honesto nomine, omnibus nobilitatis titulis et imaginibus, (quae tibi quoque abundè sunt,) majori, quamvis indignum opusculum meum decorare; et tuae simul erga meos bonitatis, tacitum saltem animi mei sensum testari;—meque novis, cum benignitatem tuam hoc modo praedicare liceat, beneficiis, gratus affici confiteor.

Edinburgi, Pridie Id. Sept. A. M. S. MDCCCX.

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS

DE

RHEUMATISMO.

GEO. G. ROGERS, AUCTORE.

EXORDIUM.

Quum primum Omnipotens homini animam corporis intrà compagibus fixit; arte ipsâ divinâ fabricatus evasit, et viribus multis praeditus, quarum ope, innumeras ferè injurias quibus ab internis tam ab externis sit obnoxius, evitaret; his malis quae semper et ubique periculum minitantur, remedium promptum inveniret; ac multis caeli, victûs, vitaeque generis, varietatibus sese accommo-

daret. Nobile opus! variis vitae muneribus fungi idoneum, et facultatibus suis diu parumque turbatis, frui adaptatum! Sed cum labentibus annis simul ipse dilabitur et senescit, ac singuli homines pereunt; naturae potissimum curae fuit, soboli sibi ipsi simili parentem futurum; cujus vita sana et pura ut fons unde orta est, per temporis cursum flueret: Et sic labere pergisset "in omne volubilis aevum," ni desidia pallida, luxuria prava, cum animi motuum omnem ferè modum temnentium turbine longo, universas corporis functiones et structuram ipsam vitiassent; vitae vires, saltem eas quibus ab injuriis defendatur, enervassent; et proclivitatem miram, actionibus morbidis, è quibus constat adversa valetudo, induxissent. Sic malorum turba, miseris mortalibus vitae semitam undique obsident, quorum multa etiam ad posteros à parente transmittuntur, et illis "vix ullum remedium, ulla salus est."

Morbos, inter hos tot tamque diversos, quibus, infirmitate naturae, obruitur hominum fragile genus; pauci sunt qui, tam ob frequentiam, tam ob

graves dolores, quibus corpus excruciant, et singulas ejus actiones impediunt, medici attentionem, magis quam Rheumatismus, sibi vindicant.

Dissertationis igitur medicae hoc argumentum, haud prorsus inutile sperare ausus sum; et quod sors ita jusserit, me degere vitam, ubi magnae subitaeque caeli mutationes, toties occurrunt, ut intra diei unius spatium, major in aëris temperie discrepantia, quam sub tropicis, per integrum anni decursum, contingit*; morbum, omni ferè formâ, observandi, occasiones mihi adfuerunt; hoc prae caeteris se mihi maximè commendat.

Quamvis, vulgo dicatur, Rheumatismum sub alterutro duorum statuum existere; attamen cum hos à se invicem, saepe difficile sit, satis accuratim disjungere; et inter eos vix ac ne vix quidem diagnosin invenire liceat†: eò magis est nobis

* Gradus sedecim. Vid. Mosely on Tropical Disease. p. 119.

† Vid. Cullen, first Lines, § 451.

summâ ope niti, singulis morbi formis, justos imponere limites, quò faciliùs et certiùs unicuique remedia adaptarentur, si forte inter medicamenta talia sint; "saepe enim serò paratur me-"dicina, cum mala per longas invaluere moras," et omnis quae alio fundamento nititur divisio, pro nihilo secùs quam somniis habeatur. Hoc neglecto, indè oriuntur sententiae variae et oppositae, quae, de tempore idoneo, quo exhibeatur Cinchona, in specie acutâ, prolatae fuerant; et hinc etiam alia naturae non modo diversae sed planè contrariae, quae ab aliis in arthrodyniae sanatione, remedia commendantur *.

Magnoperè patet symptoma, quo, Rheumatismus, qualiscunque sit species, praecipuè dignoscitur, dolorem esse cruciantem, qui, quantum mihi de eo judicare liceat, secundum morbi gradum, diversis causis oriri, et remedia dissimilia postulare, videtur. Quocirca quatuor Rheuma-

* Aud. praelec. Clin. eruditi Drs. Duncan.

tismi conditiones, enumerare statui; divisione, vel ex symptomatum differentiâ, vel ex sanatione varia, quam ratam habet experientia, desumpta.

Sequens simul illam apud medicos dudum maximè usitatam divisionem, in Acutum et Chronicum vel Arthrodyniam, ut ab erudito Cullen, nominatur, de priori, sub nomine inflammatorii disseram, cum in eo adsunt notae omnes, inflammationis et generalis et localis, calor auctus, sitis, pulsus validus, durus et frequens; sanguis detractus, tunicam coriaceam exhibens, partium praecipuè dolentium, tumor et rubor manifestus, cum tensione. Dolor ut in aliis inflammationis speciebus, vasorum tunicarum distentioni, sanguinis copiâ et impetû auctae, referri potest.

Posterior, tres status complectitur, viz. Irritabilem, Atonicum, et Paralyticum, sed de his ex ordine.

RHEUMATISMI INFLAMMATORII VEL ACUTI HISTORIA.

Ineunte morbo, ferè semper à stadio frigido, aliisque pyrexiae signis, incipit; aliquando autem dolorem non praecedunt, sed eidem per tempus aliquod perstanti superveniunt.

Aegrotus fit piger cum universalis sensû languoris, et frigoris quod in dorso nunc percipitur, sed brevi cum horrore ad reliquum corpus propagatur: His accedunt calor, sitis, anxietas, et inquietudo, cum pulsu frequenti, valido et duro; facie simul rubrâ, et cibi desiderio imminuto; nunc plures articuli, praesertim majores, humeri scilicet, genua, coxae, et cubiti, sed raró carpi aut malleoli, doloribus peracutis, pungentibus, et lancinantibus, afficiuntur. Dolor musculorum tractum sequitur, et motû vel levissimo augetur. Juncturis maximè dolentibus, ut plurimum superveniunt tumor et rubor sub tactum molestissimi;

his autem cruciatus non semper cedunt. Pyrexia indies vesperi ingravescit; nocteque, quo tempore, dolores augentur et plerumque locum mutant, acerrima est. Interdum vero dolor, uno in loco fixus manet, praesertim si pyrexia sit lenis. Alvus ut plurimum adstricta. Urina parca et colorata initio nullum sedimenti deponit, sub finem verò sedimentum lateritium demittitur. Maturè admodum, profusi sudores, aut partiales, aut toto corpore oriuntur; et quamvis, saepe opportunè ab his levantur dolores, alias tamen partes, nisi perraró aggredi pergunt; vel etiam eòdem unde jamjam decesserant revertuntur. Haec metastasi dispositio major vel minor videtur, pro pyrexiae severitate.

MORBI FINES.

Rheumatismus inflammatorius, caeteris licet phlegmasiis, satis affinis, hoc tamen, quod in suppurationem minimè proclivis est, ab eisdem in-

signiter distat; nunquam forsan gangraenâ aut scirrho terminatur; plerumque, resolutione finitur, aut in speciem chronicum evadit: hoc fit praesertim si aggressio gravis fuerit aut diuturna, vel morbus ipse imperitè tractatus; interdum effunditur in tendinum vaginas liquor glutinosus et pellucidus, qui saepissime resorbetur; haec autem effusio aliquando eò usque pervenit, ut articulus uniformiter tumescit, Hydarthro multùm referens, qui saepe etiam verè excitatur quum diathesis scrofulosa adsit. Ascites huic morbo, sed rarissimè sequelae est. Siquando exitio sit, ab eruditis dubitatur.

CAUSAE PRAEDISPONENTES.

Aetas quaedam, à pubertate ad annum vitae trigesimum quintum; omne temperamentum ejus accessioni patet; sed sanguineum magis quam caetera invadere solet. Plethora et omnia, quae corporis debilitatem vel irritabilitatem augeant.

CAUSAE EXCITANTES.

Caloris et frigoris vicissitudines subitae et frequentes; hinc vere et autumno potissimùm grassatur, ac in regionibus fervidis rarissimè invenitur *. Frigoris corpori applicatio, praesertim si sit diuturna, vel humiditate conjuncta, ut in vestimentis madidis &c.; aut si corpus ipsum, eodem tempore sit plus solito calidum.

DIAGNOSIS.

Ab Arthritide, invasionis tempore et severitate minore, dolore lentè et gradatim augente, ac musculorum tractum sequente, nullâque ventriculi affectione praeeunte, cum aegri historiâ abun-

* Vid. Hillary, Diseases of Barbadoes, p. 41.

dè dignoscitur. Ab aliis Rheumatismi conditionibus, pyrexiâ, cum tumore et rubore locali.

PROGNOSIS.

Ut plurimum sit fausta. Bona indicia sunt, dolores sedi suae inhaerentes, cum et eorum et febris remissione aliquâ; universalis sed lenis diaphoresis; sedimenti lateritii vel furfuracei, ex urinâ depositio; eruptiones cutaneae; è naso aut aliis partibus haemorrhagia, modum non superans; diarrhoea.

Infausta sunt signa, pyrexiae aggravatio; partes tumefactae, colorem rubicundum induentes, in vesiculas abeuntem; capiti, thoraci, aut abdominis visceribus metastasis, unde istarum partium, inflammationis idiopathicae symptomata oriuntur. Sed de his mihi non satis certò constat.

CURATIO.

Consilia medendi in duo sese distribuunt.

1. Totius corporis, et praecipuè articulorum dolentium, diathesin phlogisticam superare.

2. Proclivitati morbi formam in vetustam evadendi occurrere.

Ad primam indicationem implendam inserviunt sequentia;

a. Regimen antiphlogisticum, cuique benè notum, hic quam diligenter administrandum est. Carnes ac cibi ex iis parati, potusque validi, ut vinum et ejus spiritus, cum liquoribus fermentatis, cautissimè fugienda sunt. Diaeta tenuis esse debet, et ex sero lactis, aut potu aliquo aquoso, subacido, et frigido constare; febre vero cedente res farinaceae, quales sunt, praeparationes variae hordei, avenae, orizae, aut Cycadis circinalis, (Sago) vel gluten Orchis masculae (Salep) cum pane benè fermentato, et similibus multis, quae

hic vix opus est recensere, suppeditanda sint. Decet haec saepè variari, quod aegri semper gratum.

b. Prae omnibus sanguinis detractio, quippe quo nihil, ad nimiam cordis et arteriarum vim atque tensionem minuendas, ideoque ad inflammationem reprimendam, plus polleat.

Sanguis, ex vulnere satis magno pleno cum rivo flueret*. "Incidatur vena sic ut ne sanguis "effluens cutem lambat, verum rectè liberéque "prosiliat †." Propositum erat, venaesectionis rationem, pro temporis spatio quo sanguinis quantitas quaedam è vase secto flueret, praefinire. Experimentis de hac re variis chirurgis institutis, apparet, aegrum inflammatione acutâ laborantem, omne beneficii, quod ex remedio expectandum est, accipere, si vulnus tam magnum fieret, ut sanguinis unciis octo, per horae vicesimam partem, evadere liceat: tardiùs verò si evacuetur,

* Vid. Sydenham, cap. 3. sect. 6.

† Vid. Simson de re Medica, p. 112.

parum levaminis, vel etiam periculi multum, ab eo saepe provenit *. Depletio subita morbo tam citò opitulari videtur, ut minore virium manentium, exercitatione, vitae officia peraguntur: Remedio autem gradatim applicato, dum malo parum subsidiatur, et hoc post longum tempus, corporis vim generalem aequaliter labefactat.

Aegri vires, pulsuum arteriarum conditio, dolorum et inflammationis progressus, sanguinis missioni et ejus iterationi, optimum modum constituunt.

Si adhuc rubeant et tumeant artus cum dolore, pyrexiâ nullâ vel leve perstante, sanguinis quantum sufficit ex iis tutò elici potest, hirudinibus aut cucurbitulis cum ferro.

c. Sudorifica, in hoc morbo multùm nec immeritò, medicis laudantur; cum mirum in modum, aliis remediis opitulantur, aut fortasse primo mali ingressû et antequam graviora urgeant, symptomata sola curam absolvant.

* Vid. C. R. Pemberton, Diseases of the abdominal viscera, second edition, p. 28.

Hujusmodi medicamenta, huic morbo adaptata et quae, in hâc excretione promovendâ, maximâ et certissimâ vi praedita sunt, nobis esse videntur; compositiones et conjunctiones opii cum ipecacuanha, vel tartrite antimonii et potassae, aut submuriate hydrargyri*; aqua acetitis ammoníae; vel alkali volatile, aliquo potu idoneo liberè dilutum.

Artuum inferiorum fotus etiam saepè multùm adjuvant, quum votis, minus generalis erumpit sudor; eidem consilio haud parum conferunt stragula lanea, cutis humorem bene absorbendo et corpus à frigore satis defendendo. Inter sudandum potus multum diluentis, non modo utile sed maximè necessarium erit, vasorum in superficiem actionem sustinere.

Quod ad sudoris durationem attinet, haec diversa erit, pro levamine signorum, et aegri viribus; nonnunquam, horas viginti quatuor, nonnunquam dies etiam tres, perstare debet.

* Vid. a paper by Dr Hamilton of Lyn. Regis Ed. Med. Com. Vol. IX.

d. Cathartica procul dubiò optimos saepissimè, in variis phlegmasiis, effectus ediderunt; sed ad usum generalem, in hocce morbo, remedia parùm apta videntur; tum quod, dolores omnem ferè motum vetant; tum ob periculum ex aëre frigido cui aeger inter surgendum necessariè objicitur: permanente attamen malo, alvus leniter soluta redderetur, quod commodè fieri potest catharticis mitioribus, quae, sine dolore vel irritatione, facilè suo funguntur officio, qualia sunt, supertartris potassae, phosphas sodae, manna, tamarindorum fructus, oleum ricini, et similia. Eidem consilio, fortasse enemata meliùs respondebunt; alvum enim non tantum purgare, quam simel solvere oportet.

e. Refrigerantia etiam, ut acida vegetabilia, sales medii, frugesque maturae, ad febris violentiam levandam, quam maximè conducunt, irritationem sitis amovendo, et calorem ultra modum auctum minuendo.

f. Digitalis purpurea, quoniam arteriarum pulsus, cohibere et debiliores reddere insigniter va-

let, nequaquam mirum videtur, medicos, ejus administrationem, in hoc morbo experiri; de ejus autem utilitate, adhuc dubitatur.

Omnibus, satis perspicitur, quantâ prudentiâ opus est in ejus exhibitione, siquando, urgente necessitate aliquâ, ad tale medicamentum confugere oporteat. Post primam venaesectionem, adhibeatur, quum, alterius sanguinis detractionis necessitati, omninò forsàn antevertet.

Ut dosis accuratiùs definiatur, tincturam meliùs erit usurpare, cujus guttae fortasse decem in aliquo vehiculo apto, cum spiritûs aetheris nitrosi semidrachmâ, ne vomitum cieant, sumendae sint, et omni horâ repetendae, donec ejus effectus appareant.

Remediis quae corpus magis generaliter afficiunt, et quibus maximè confidendum est in morbi sanatione nunc enumeratis; proximum de illis quae, ad locum applicata, eorum actio vix ultrà diffunditur, ideoque minore consideratione breviter disserere nobis est.

Fomenta partibus dolentibus admota, parum levaminis adferunt, contrà dolorem saepè augent, efficiuntque inflammationem articulatim certiùs transvolare. Eâdem de causâ, rubefacientia ut linimentum ammoniae &c. rejiciuntur. Epispastica verò, diathesi phlogisticâ penitùs sublatâ vel etiam inclinatâ, et dolore fixo, votis nostris pro certo respondebunt.

Caloris reductio, linteis aquâ frigidâ, vel muriatis ammoniae solutione madefactis, et juncturis inflammatis saepe applicatis, tuto ac magno beneficio comitatur. In Russiâ, nivis vel glaciei contritae, medici usum commendant.*

Ad secundum consilium efficiendum, proclivitati nempè morbi, formam in vetustam evadendi, occurrere, convenit nos in memoriam revocare, pessima provenire mala, evacuationum usu nimis liberali, praesertim sanguinis; vires brevi labefactat, et ad salutem reducendam naturae nixus, multò minùs efficaces reddit.

* Vid. Thomas's Prac. of Phys. 3d Edit. p. 158.

Morbo remediis jamjam memoratis sublato, nullum forsàn magis prodesse videtur, quam Cinchona officinalis magnâ quantitate et per plures septimanas exhibita.

Causas occasionales, sed praesertim frigus quam diligenter evitare oportebit; hoc consilio indusia lanea, cum corporis exercitatione leni et sub Jove sereno, fortasse equitando, multùm valent; et balneum frigidum, cum aeger vires pristinas partim recuperaverit, ad curationem perficiendam.

DE ARTHRODYNIA.

Quoniam, nunc ventum est ad mali considerationem, quum formam vetustam induerit, pauca quae, conditionibus Arthrodyniae diversis inter se conjunctim sunt, tempestivum pernotare videtur: et hoc magis necessarium, ex eò quod

sub ejus decursû, symptomata toties mutantur et alia conditio in aliam gradatim degenerat. Quo meliùs, cum intélligatur quid unicuique proprium, quid omnibus commune, remedia singulis speciatim adaptare liceat.

Rheumatismi chronici aggressiones nullae anni tempestati, vel post pubertatem aetati cohibentur, et maribus magis quam faeminis invadere solent; forsan quòd hi saepiùs et frigoris gradibus majoribus quam illis accidit, exponuntur, et pari indulgentiâ postea carent.

Dolores rarò per totum corpus vadunt, sed in artubus inferioribus saepiùs quam superioribus figuntur, nec facilè arti succumbunt; ex quo necessitas urgens, in sedulo remediorum aptorum usu persistendi oritur; parum alioquin beneficii ab iis deduci potest.

Morbo progrediente, sudores nocturni, calidi, profusi, sed plerumque minùs generales, partibus dolentibus vel aridis, vel humiditate tantum levi et frigida coopertis, non raròprorumpunt, et miserum aegrum vexant, et vires ejus labefactant,

dum nihil aut parùm malo subsidiantur; in atonicâ magis quam caeteris arthrodyniae conditionibus occurrunt: hos semper et studiosè cohibere, vel saltem minùs profusos et debilitantes, et simul si quodammodo liceat, magis generales reddere oportebit; et quoniam ex debilitate quâdam morbo inductâ oriri videntur; primum, inter remedia ad hunc finem accommodata, locum meritò sibi vindicant, omnia quae corpus firmare et roborare solent, et quae hic vix quidem enumerare licebit: decet attamen notare, cinchonae et acidi sulphurici exhibitionem nequaquam praetermitti; et partium dolentium calorem sedulò sustineri et foveri, pannis eas laneis tegendo.

Nec mirum videbitur, si sudorificorum, ad morbum penitùs amovendum, usum posthàc commendemus, et tales etiam exinanitiones arte mox effici moneamus; quoniam experientia quotidiana magnoperè docet, sese medicamenta idonea frequenter suppetere, et vires et facultates interdum valdè felices ostendere: nec ratio obscura nec intellectu difficilis, cur nunc naturae actiones ultra

modum progredientes coërcere, et nunc iisdem deficientibus, tempore idoneo et gradu qui par sit, eas arte excitare et imitari conaremur.

Narcotica quaedam, scilicet, Opium, Hyosciamus, Conium maculatum, &c. in omni morbi statû, dolorem forsàn leniendo, cum felice eventû usurpari solent.

Quicunque Rheumatismi aggressionem semel tulerunt, ideoque ejus iterationi exinde procliviores, vestitû laneo juxta cutem posito amicti incederent, ac diaetâ idoneâ et vitae genere, interdum quoque et aliis remediis, generali corporis sanitati quam diligenter consulerent; sed ad morbum praecavendum vel levandum vel etiam curandum, nullum magis convenit, quam in regiones temperatè calidas transitio, quae coelo benigno, sereno, et aequali gaudent; inter has praecipuè enumerare licet, Hispaniam, Italiam, Galliae partes meridionales, Insulas Fortunatas et Madeiram.

His de Arthrodyniae generatim praedictis, pergitur nunc variis ejus gradibus speciatim animum incumbere.

RHEUMATISMI IRRITABILIS STADII ENARRATIO SYMPTOMATUM.

Haec morbi longè frequentissima forma, sedem in fibris motricibus ut plurimùm habet, et ideo partes quae, musculis pluribus et ad motionem multùm valentibus, obteguntur, potissimùm tentat.

Mihi verisimile videtur hanc esse rheumatismi conditionem quam notant doctores eruditi Pitcairn et Baillie, cordi aggredientem, et ipsius vel potius ejus cavorum incrementum inducentem; symptomata quae huic comitari dicuntur, palpitationes sunt, cum pulsu plerumque debili et irregulari; et quoniam cordis parietes, morbo progrediente, attenuantur, dyspnoea multa cum genarum et labiorum livore subsequitur. Haec corde vi minore

praedito quam ut sanguinem in arteriarum ramulos minutos propellere queat; et in pulmonibus ejus remorâ consequente, oriuntur*.

Praeeunte rheumatismo inflammatorio, signis febrilibus cessantibus, et simul articulorum tumore et rubore diminutis, dolores ardentes, pungentes, et saepè fugaces, varias tamen partes vexare pergunt; musculorum vaginarum tractum, distinctè sequuntur; sub motû vel calore aliquo externo augentur, et frigoris gradûs cujusdam applicatione ut plurimùm levantur. Proclivitas insignis conditionem inflammatoriam ingrediendi, sese interdum ostendit, attamen pulsûs plerumque mollis comitatur. Functiones naturales rarissimè turbantur. Siquando statûs acuti praecedentis aggressio severa fuerit, ligamenta et articulorum membranae, ossiumque etiam extrema saepe distenduntur.

* Vid. Baillie's Morbid Anatomy, p. 49.

CAUSAE.

Quamvis irritabilis plerumque pro sequelâ conditionis inflammatoriae habeatur, morbus utcunque primarius nec ràro etiam oritur. Easdem agnoscit causas et praedisponentes et excitantes, quas suprà memoravi; sed quaenam sit earum distributio, quae modo hunc, modo illum mali statum incitare conducit, non nobis satis lucidè apparet.

Multum à statû corporis cui causa excitans admoveatur, indubitò pendet. Exinanitiones et irritamenta quaedam, ut hydrargyri usus, cum frigoris corpori applicatione partiali, et hoc multò citiùs et fortiùs si fluminis instar idem concuteret, ad hanc morbi formam ciendam magnoperè valere videntur.

Nisus vehementes et subluxationes ejus accessioni haud parum praestant; quotquot corpus infirmant, laxant, idem irritabile reddunt, et vim

musculorum irritabilem nimis augent, efficiunt ut causae nocenti multò minus obstet opportunitatem ideoque morbo faciunt.

DIAGNOSIS.

Morbi quibus haec rheumatismi conditio intermisceri potest, Syphilis et Scorbutus sunt.

A doloribus in priore occurrentibus facilè dignoscitur, aegri historiâ et quod in syphilide dolores in ossium longorum mediis et cranii parte praecipuè sentiuntur; magis fixi etiam sunt et tactû nunquam asperantur, sed potiùs levantur: Luis porrò venereae symptomata propria ut tonsillarum ulcera, maculae coloris cuprei, vibices, &c. si forsan nondum praegresserint, brevi subsequuntur.

Causae remotae, debilitas major, spiritus foetidus, gingivaeque spongiosae et molles, sanguinem tactû levissimo profundentes, hanc à scorbuto

satis clarè separant; inter eos tamen combinatio saepè fit.

A statû inflammatorio, quod ejus effectus non rarò existit, nec ullâ pyrexiâ assectatur, et parum ruboris vel tumoris adest; ab atonico, dolore, calore aucto, et à paralytico, artûs colore et magnitudine, dignoscitur.

RATIO MEDENDI.

Ex suprà dictis videre licet, dolores in hoc morbi statû, ex totius corporis et fibrarum muscularium irritabilitate quâdam pendere; ad hanc compescendam animum igitur advertere decet.

Exinanitiones generales, quamvis effectus tot salutares, in mali specie acutâ praestiterint, et in eâ non utiles modò sed prorsùs necessariae fuerint, huic statui nisi perrarò conveniunt, neque omninò periculo carent; cum vires vitales minuunt, et corpus ut plurimùm infirmant, et irritabile reddunt eò magis et certiùs, quo ipsae copiosiores fuerint.

Venaesectio hinc plerumque obest, dum partibus affectis, hirudines vel cucurbitulae cum ferro, multùm prosunt.

Sudorifica etiam minus apta inveniuntur quam diaphoretica lenissima; nempè, "quae exhalationem solùm per cutem promovent *." Hoc consilio exhibeantur Tinctura Guaici ammoniata, Aqua acetitis ammoniae, decoctum Daphnes Mezerei, vel Sarsaparillae decoctum compositum; his, potûs multum tepidi, cujus aqua longè maxima pars est, cum frigoris sedulâ evitatione magnoperè adjuvat. Sed remediorum internorum Cinchona officinalis, praesertim si cum nitrate potassae sit conjuncta, summo et evidente beneficio usurpatur.

Hic quoque forsitan enumerari debet hydrargyri exhibitio ad ptyalismum lenem ciendum; sed remedium parum aptum videtur ni Syphilis fortè simul adsit.

Potio somnifera omni nocte ut plurimum necessaria erit, ad irritationem compescendam et ad

* Vid. Greg. Con. Med. Theor. Cap. 37. sec. 1453.

somnum obtinendum, doloribus tunc calore lecti auctis; sed minimè ad sudorem movendum.

Frictiones lenes et frequentes partibus affectis miti aliquo linimento, veluti Tinctura Saponis et Opii, multùm valent. Camphora etiam in aethere sulphurico soluta, et externè applicata, levamen saepe magnum adfert.

In Galliâ frictiones cum aethere acetico fausto eventû usurpatae sunt, praesertim in Sciaticâ et Lumbagine; remedium hoc commodi secum afferre dicitur, ut dum calorem in cutem et perspirationem utilem excitat, nequaquam partium irritationem vel inflammationi propensitatem auget*.

In dolore leniendo, et fibrarum rigiditate solvendâ, praecipuè aegris senioribus, quorum vires, multùm morbi duratione et violentiâ minuuntur; balneum tepidum ex 80° ad 94^m caloris gradum, vel quod forsan melius erit, aquae Buxtoniae usus, permultùm, modis aliis quos usurpemus, auxiliantur; habitus irritabiles lenem immersionis con-

* Vid. Recueil period. de la Societé de Med. de Paris. No. 43.

cussionem ferre, et reactione parvâ superare possunt; ad usum quoque immersionis in mare remedii potentioris viam sternat.

Cum partes in imo sitas, ut in Lumbagine et Sciatica, vel articulorum membranas aut ligamenta, morbus aggrediatur, vel cum ossium extrema tumeantur, vesicatoria prope partem, seriatim adhibeantur; fonticulis quoque recurratur, qui causticis, potius quàm scalpellis facerentur; vel setaceis, secundum tendinum longitudinem insertis; ex his fluxus pro irritationis gradû, aegri viribus, et morbi pertinacitate major minorve induceretur.

RHEUMATISMI ATONICI STADII ENARRATIO SYMPTOMATUM.

Symptoma insigne hâc veluti in morbi conditionibus de quibus jam dictum, dolor est, sed minus gravis, stabilior, saltem magis uniformiter

affectus quibusdam causis, motu scilicet et temperaturâ: multùm etiam coeli mutationibus, praesertim ex aëre calido et sicco ad frigidum et humidum, vel gelû terram compingente, nectitur. Calor medius magnum et certum levamen adfert; dum frigoris applicatio, dolorem semper excitat; hujus raro exacerbatio est. Juncturae morbosae, pallidae et rigidae, corpore aliter calido, frigescunt; aut quando sudor profusus et calidus aliis partibus liberè prorumperit, parvâ attamen quantitate, viscidus et gelidus, articulis dolentibus evadit.

Hic morbi status, cum juncturarum affectione locali, fluidorum effusione, et concretione subsequenti oriente, quae, aliquandò vel in anchylosin terminat, saepe nectitur.

DIAGNOSIS.

Inter hanc et alias morbi conditiones, facilè obtinetur Diagnosis, pyrexiae, tumoris et ruboris absentiâ; et dolore calore externo levato.

CURATIO.

Quoniam phaenomena suprà recensita, ex partis vigoris idonei defectû et fibrarum moventium atoniâ cum rigiditate oriri videntur, indicatio curatoria sese clare ostendit, viz.

Principii vitalis in partibus affectis, vires reficere, et fibrarum muscularium rigiditatem amovere.

Remedia, ad hunc finem apta, sunt vel externa vel interna.

Remedia externa, quae satis comprobavit experientia, variae sunt applicationes stimulantes,

ut linimentum ammoniae fortius, linimentum camphorae compositum pharmacopoeiae Londinensis, oleum succini, vel terebinthinae, tinctura meloes vesicatorii. Haec partes quibus imponuntur, multo vehementiùs, quam universum corpus, stimulant; et summam cutem exasperando ac rubefaciendo, tum dotibus propriis, tum frictione crebrâ, quae inter hujusmodi remedia applicanda, usurpatur, partibus torpentibus subsidiantur.

Ignis electricus, dummodo tempestivè et cautè utemur multùm aliquando adjuvat; quippè cum nihil sanè animalium corpora, ociùs aut vehementiùs stimulet. Scintillas quotidie elicere quam ictubus uti, meliùs videtur; ne hi quamvis levissimi nervos eò usque excitent ut mox eos, major quam antea torpor occupet.

Frigidarium huic mali formae utilitatem saepè adfert; at confitendum etiam est, saepe quamvis efficax, incertum tamen haud raró remedium inveniri; ideoque nequaquam semper idoneum, vel ad quod temerè et ab omnibus aequè confugiatur. Iis multùm nocet, qui, prae debilitate, calorem

naturalem mox refovere nequeunt: quae cum ita sint, aegrum, antequam in balneum descendatur, vini tepidi et aquae haustum habere oportebit; paulisper tantùm in eo maneret; et statim ut ex eo ascenderit, propriis manibus aut si prae infirmitate opus sit, alienis, partes affectae, perfricerentur; dein vestimentis laneis contegantur.

Commodum itidem, aquâ frigidâ desuper partibus affusâ accipitur; cum aegri vires balnei concussionem ferre recusent, affusione uti liceat.

Ad tumorem quemvis reducendum fluidorum è vasis depositione orientem commendatur cataplasma, ex calcis, aëre in pulverem reductae, parte unâ, avenae farinae partibus duabus, et sevi porcini partibus septem confectum; hoc satis calidum et super linteum densitèr stratum, parti applicandum est, omnique nocte repetendum, sed manè amovendum; aliquam plerumque, humiditatem vel exudationem, sine vesicatione elicit; et haec per gradus humorum ex loco detractio, saepe efficax quamvis tardus, genu vel coxae tu-

mores minuendi methodus est *. Eodem consilio fomenta, parti dolenti, per diem saepè admota, plurimùm prodesse solent, cutem relaxando et dolorem leniendo.

Remedia interna hac in mali conditione commendata sunt; vel sudorifica, de quibus suprà satis actum est, speciei acutae de curatione tractando; decet attamen notare, multò magis liberè hic usurpari posse, tam quod minus periculi ex eorum effectibus stimulantibus adest, tam quod partibus dolentibus, sudor profusus levamen certissimum adfert; vel medicamenta quaedam stimulantia, olea essentialia et resinas, plerumque continentia; hujusmodi sunt Guaiacum officinale, Oleum terebinthinae et similia; haec quoque ad sudorem movendum et quantitate tam magnâ quam toleret stomachus, saepe administrantur.

Quoniam aegri ut plurimum debilitantur, et quò sanetur pars, universum corpus confirmari opus

* Vide a paper by Dr William Falconer, Mem. Lond. Med. Society, Vol. VI.

est; quaedam medicaminum, quae inter tonica annumerantur, sed praesertim Cinchona officinalis dosibus satis largis exhiberentur.

Locum inter remedia jam memorata, medium, exercitatio tenet, quâ nullum tutius et forsan plus prodest; cor ac arterias concitando, sanguinem aequaliter distribuit, secretiones varias promovet, totumque corpus salutariter stimulat: Modica fuerit et citra defatigationem, sed constans; partes debilitatae sic motioni sese gradatim accommodantes, mobilitatem pristinam brevi recuperabunt.

Crebra quoque frictio exercitationis vice, ubi hanc aegri vires planè vetant, aliquatenus fungi potest.

Remediis, et internis et externis plerumque conjunctim uti oportebit; haudquaquam iis sigillatim, usque eò confidendum, ut caetera negligantur, cum per se vix et ne vix quidem si unquam morbum sanare queant; nunquam verò desperare, etiamsi expectatam sibi opem, non statim afferant, sed in eorum usû complures menses, perseverare

decet; quippe enim ni sic continuentur, nil omninò beneficii ut plurimum ex iis oritur: minimè sperandum est, malo vehementi et per longum tempus duranti, nisi aequè vehemens et diuturnum sit auxilium, succurrere.

RHEUMATISMI PARALYTICI STADII ENARRATIO SYMPTOMATUM.

Quibusdam vel omnibus aliis morbi conditionibus diu plerumque aggressis, adhuc manent, dolores graves non solùm juncturarum sed artûs etiam totius, nec motû nec calore nec frigore aucti vel levati, transientes et sine aliquâ causâ evidente orientes, iis in paraplegiâ occurrentibus, similes; virium, sensationis et motionis partium plus minusve privatio; artus magnitudine imminuti, plerumque frigescunt, pedibus vero calidis;

musculorum fibrae laxae et flexiles evadunt*, juncturis autem rigidis nec ad motionem aptis.

DIAGNOSIS.

Artus magnitudinis diminutio et aegri historia, diagnosin magnoperè praebent.

CURATIO.

In hac Rheumatismi gravissimâ specie, quò praevalent debilitas et torpor maximus, et vitae vires multùm imminuuntur; manû laxiori, quam in paralysi, aliis causis oriente, stimulantia exhibeantur medicamenta.

Balneum calidum, pro stimulante externo, omnibus ferè paralyseos generibus, fructû vario usur-

* Vid. Morgani de Sed. et Caus. Morb. Epist. lvii. p. 17.

patum est. Anne balnea naturalia, ut Bathoniae, occurrunt efficaciora quam vulgò usitata, in dubio à multis medicis habetur, ex eo quod substantiae quibus priora imbui inveniuntur, quantitate minore quam ut effectus speciales ab iis editi sint, existunt; alii tamen meritò praeponi, putant.

Aqua calida sub vaporis formâ, loco apposita, remedium tutum et utile commendatur; quoad modum applicandi, lebes, canale ei affixâ, apparatus satis conveniens habeatur: partes affectae vaporis actioni, per horae dimidiam exponerentur, dum simul, aliquo rubefaciente, ut linimento ammoniae perfricantur et hoc peracto, panno laneo, tegerentur; plus beneficii ejus usû proveniet, si bis vel ter indies repetatur.

A galvanismo, quoque quoddam commodi fortasse deduci potest; ut vi modicâ adhiberetur, curandum est; plus enim utilitatis ejus repetitione, quam violentiâ expectandum.

Stimulantia alia interna, ab aliis, laudantur; ex his maximâ potestate praedita sunt, Arnica

montana et Rhododendron Chrysanthum * ; prior sub formâ infusi optimè exhibetur; foliorum scrupulorum duorum in aquae unciis octo infusio partitis vicibus, indies bibatur. Decoctum posterioris praeponendum est; drachmae duae foliorum in aquae unciis decem, per noctem coquendae sunt, et liquor colatus manè sumendus.

Liquida nulla, per horae spatium post eorum exhibitionem capesserentur, ne vomitum cieant: nullam evacuationem manifestè sentiendam, producunt; sed aliquando, sensatio quaedam, pungens vel repens, partibus morbosis, percipitur; quae remedii actionem demonstrat.

Cum remediorum supradictorum incassûm experientia facta fuerit; solutionis arsenicae Doctoris Fowler exhibitione, effectus laudandi deducti fuerant. Cura maxima adhibenda est in remedio tam ancipite utendo, cum ejus abusus haud parum periculosus poterit, sive nimis largè data fue-

* Vide a paper by Dr Guthrie of Petersburg, Ed. Med. Com. Vol. V.

rit, sive nimis frequenter repetita: dosibus parvis incipiendum, quae tantum, gradatim augeri possunt quantum aegro conveniat; guttae ejus decem, cum tincturae opii pari quantitate, in vehiculo ullo, et forsàn decocto cinchonae nullum melius, bis vel ter indies exhibeantur. Interdum hoc remedio adhibito, erythema, super varias corporis partes panditur; et interdum etiam, gingivarum dolor et ptyalisma, concitantur; his autem occurrentibus, omittatur ejus usus per paucos dies. Obstipatio, plerumque supervenit, quam, laxantibus idoneis, pro re natâ amovere oportebit.

Ità symptomata varia quae huic morbo contingunt, et quorum concursû cujuscunque ejus speciei character deducitur, pro virili meâ breviter enumerare conatus sum. Hoc consilium perficiendo, divisiones minutiores ineptè moliendi, quam ut rectè et faustè idem tractaretur, maximè necessariae fuerunt, me minimè accusationem mereri, enixè spero: multa sanè sunt quae aut fudit incuria, aut parum cavit juventutis experientia, limitibus nimis arctis neces-

sariè constricta; et multa etiam quae eruditioribus, elucidationem pleniorem postulare videbantur: at verò temporis angustiâ et argumenti longè latéque patentis ratio, prohibebant, quò minus ad systematis formam prolusio nostra accederet; quod ut lector benevolus aequi bonique consulat, iterum iterumque rogo.

"Messem non facis dum seges adhuc in herba,"
——————"Neque aurea poma
"Primo vere legis."——————

Si tamen in hoc tentamine quicquid medici attentione dignum fuerit, vel hujusce morbi, cujus species permultae artem peritorum adhuc illuserunt, considerationi faustae semitam sagacioribus monstraverit, contentus ero.

"Est quoddam prodire tenus, si non datur ultra."

Multùm interim mihi jamjam discessuro deficeret officium, ni hâc in alma academia professoribus eruditis et omni laude dignis reverentiam quam

decuit attribuam; et simul pro benignitate et morum suavitate quibus erga me, cum aliis discipulis conjunctim sese gesserunt, animo perquam devincto gratias sinceras agerem.

TANDEM.

Excudebat C. Stewart.